

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjutor meus, * et redemptor meus.

Glória Patri, etc.

Ant. Sicut myrrha elécta odórem dedisti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Ant. Ante thorum.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generatio quæréntium eum, * quæréntium faciém Dei Jacob.